



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 4. Quid est Lex irritans, & quinam ejus effectus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

am voluntariam, sed etiam culpam contra Legem Dei commissam: & aliunde notitia pœnæ non est necessaria ad contrahendam ipsam pœnam. Hinc rebaptizans fit irregularis ex delicto, licet ignoret invincibiliter legem Ecclesiasticam de hoc latam, si nôrit divinam.

Dixi, *regulariter*. Nam 1. excipiuntur Censuræ, à quibus excusat semper ignorantia invincibilis legis Ecclesiasticæ, eò quòd requirant contumaciam contra legem Ecclesiasticam, qua caret is, qui ignorat invincibiliter talem legem. 2. Si pœna extraordinaria sit, minui debet: quia minor est contemptus, ideòque culpa minorem pœnam meretur.

Q. 4. *Quid est Lex irritans, & quanam ejus effectus?*

Resp. I. Lex irritans est ea, quæ statuit actum aliquem esse invalidum. Constat autem actum, qui fit contra talem legem, esse nullum, etiam in foro conscientiae: quia in Ecclesia, & in Rep. est potestas legitima irritandi actus, sive præscribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actuum valorem, & obligationem, sive subditos reddendo inhabiles ad certos actus. Nam talis potestas ad bonum commune, & rectam, ac efficacem gubernationem requiritur, cum sine tali pote-

L a

sta-

state, fraudes, pericula, aliâque gravia incommoda impediri sæpè nequeant.

Resp. II. Invincibilis ignorantia Legis irritantis non impedit irritationem actûs factam immediatè propter bonum commune. *Indubitatum est apud omnes, ait Suarez,* quia irritatio non supponit culpam, cum imposita sit non propter illam, sed propter bonum commune, quod postulat, ut Lex irritans habeat effectum suum pro isto, & omni alio casu. Ergo à fortiori nec metus gravis impedit irritationem actûs, & alioquin homines sumerent occasionem incutiendi metum ad eludendam legem, quod bono communi multùm obesset, & in grave Reip. detrimentum redundaret. Nec potest quis derogare bono communi cedendo proprio.

Resp. III. Lex irritans simul, & prohibens actum, obligat in conscientia ad vitandum illum actum. Quia Lex illa continet præceptum prohibens. Lex verò purè irritans actum, non obligat ad illum vitandum: quia Lex illa non continet præceptum omittendi actum, quem irritat; & ad finem talis legis sufficit irritatio actûs absque obligatione abstinendi ab illo. Hinc Lex irritans renuntiationem hæreditis paternæ factam à filia dote contenta, dum nuptui collocatur, non obligat illam ad non renuntiandum.

Lex

Lex autem censetur purè irritans, quando ejus verba nullam continent prohibitionem, sed præcisè actum irritant; nisi contrarium ex materia, fine, vel circumstantiis, aut usu colligatur: ut contingit in Legibus Ecclesiasticis irritantibus, & quoties inhonestum est velle facere actum, qui non potest fieri validè, v. g. Matrimonii contractum.

Resp. IV. Lex ipso facto irritans obligat in conscientia ad ea omnia, quæ per se ex irritatione sequuntur. Nam talis Lex actum, quem irritat, privat omni usu, ac utilitate morali: ad hoc enim ipso facto irritatur, ut omni utilitate morali careat. Ergo omnis moralis usus illius illicitus, ac vetitus est vi legis irritantis, & non tantùm vi legis naturalis: alioqui talis actus non privaretur per legem irritantem omni morali utilitate, si adhuc licitus esset illius usus in ordine ad effectus morales. Ergo etiam vi legis irritantis obligamur ad ea omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, ac proinde lege naturali ex hypothesi nullitatis actûs.

Hinc v. g. Lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum Beneficii, hoc ipso privat illam omni utilitate morali, & sic reddit omnem illius usum moralem illicitum: ac proinde non solùm vi legis naturalis, supposita nullitate actûs, sed etiam vi legis humanæ actum illum irri-

tantis tenetur subditus in conscientia fructus illos restituere.

Resp. V. Lex non irritans ipso facto actum, sed solum præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam Judicis, ad irritandum actum: cum irritatio sit actus proprius potestatis publicæ; & ita si non fit per legem, fieri debet per Judicem, cui soli illam Lex præcipit. Neque etiam obligat ad ea, quæ ex actûs irritatione per se consequuntur, quia nondum est irritatio actûs ante sententiam Judicis.

CAPUT IX.

De Privilegio, & Consuetudine.

Q. I. **Q**uid, & quotuplex est Privilegium?

Resp. Privilegium est facultas constans, ac permanens, à Superiore concessa, agendi, vel non præstandi aliquid contra, vel præter legem. Hinc differt à dispensatione, quæ solum est ad actum, vel casum particularem, nec est permanens, sed transiens, & semper est relaxatio legis. Dividitur præcipuè I. in Reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis, vel statûs; & in Personale, quod